

clamari audimus? Sane apostolus ad Philipp. II. ita exaltatum scit Christi nomen: *Ut in nomine Jesu flectatur omne genu caelestium, terrestrium et infernorum.* Quod si angelicae virtutes et daemonum cohortes, quae a Christo redemptae non sunt, quemadmodum non sumus, hoc audito nomine genu flectunt, idque adorant: quid dicendum de hominibus, qui non modo id non adorant auditum, sed ridicule ipsi proferunt? Sane convincuntur tales parvi vel nihili aestimare suam salutem, dum suum Salvatorem tam histrionice circumferunt. Quemadmodum enim is, qui nova et pretiosa indutus veste, ubique et semper eam gestat, quovis loco sordido sedet, per medias pluvias et lutosum iter gestat humique in ea repit, censetur nihili aestimare vestem illam; ita etiam qui salutare Christi nomen tam leviter effundit. Nomen illud Jesu indumentum salutis nostrae est, in quo solo Deo placemus per Christum; quia ad Gal. III. dicitur: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Id vero tam pretiosum est, ut constiterit sanguine Christi. Quicumque ergo id tam viliter tractat, nihili aestimare convincitur. Unde recte apostolus ubi supra; *Empti estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro.* Apie quoque Theodoret. quæst. XLI. in Exod. ait: « Si permulti consueverunt pretiosorem diebus festis reservare, multo justius est divinum nomen precibus atque docendi officio consecrare. » Confundit istos insignis in Japonia vir, Timazaca nomine, qui cum aliquem in periculo quodam inclamantem audisset *Jesus Maria*, ex equo illico descendit, Deoque gratias egit, quod, ubi demonum tantummodo prius nomina audiebantur, ibi jam suavissima Jesu Mariaeque nomina invocarentur; prout iis e regionibus scripsit Valer. Caruaglio, anno 1601.

IV. Quia est nomen sanctum (juxta Ps. CX. *Sanctum et terribile nomen ejus*) representans sanctum illud, quod angelus venerationis causa nominare audebat, cum dixit ad Mariam Virginem, Luc. II. *Sanctum quod ex te nascetur vocabitur Filius Dei.* Et hæc forsitan de causa cæcus ille, primo Jesum filium David compellens, secundo petitionem repetens, non audebat eum iterato nomine Jesu compellere, sed tantum dicebat: *Fili David, miserere mei*, quasi indecoram censens tanti nominis iterationem. Luc. XVIII. Ratio vero est, quia sicut imago regis honoratur, quia regem representat; ita et nomen Dei honorandum, quia Deum representat. In more positum est apud nonnullas gentes ut delatas ad se regum suorum litteras super caput ponant, se in genua flectant aut alia hujusmodi faciant, veluti Angli, qui vacuas regum suorum sellas in aula positas pronò

capite ac demisso vultu venerantur, teste Bozio, de signis ecclesiast. l. XV. c. XIX. « Apud Judæos quidem, inquit, S. Chrysost. hom. XXVI. ad popul. Antioch. tam venerandum erat Dei nomen, ut in lamina scriberetur et nemini litteras nominis ferre liceret, nisi sacerdotum principi; nunc autem veluti quiddam vulgare, sic ipsius nomen circumferimus. » Hæc ille. Sane nomen illud non nisi summus sacerdos, et semel tantum in anno pronuntiari audebat; id interim alii in terram prostrati audiebant: ad hæc quoties in sacris litteris inveniretur, venerationis causa nunquam pronuntiabant, sed pro eo dicebant: *Adonai.* Atqui nomen Jesu, nobis non divinitatem tantum, sed etiam humanitatem Dei, adeoque beneficium incarnationis representat, et plusquam tetragrammaton. Taceo quod ipsi gentiles Romani deorum suorum tutelarium nomina proferre nefas ducebant, teste Plut. in libr. probl. Quid, quod virorum nominatorum nomina sine honoris significatione proferre non solemus? « Jam vero quomodo non est absurdum, ait Chrysost. hom. VII. ad pop. servum quidem non audire dominum nominatim, et sine honoris præfatione appellare, angelorum vero Dominum temere et contemptim ubique jactare? » Certe læsæ reus majestatis foret, qui imaginem regis sine reverentia tractaret, locis inhonestis affigeret, etc. quomodo non reus erit, qui sacratissimum Dei et Jesu nomen ore profano, prout in buccam venerit, venditat? Audi Chrys. hom. XXVI. ad prop. Antioch. « Nescitis quid sit Deus, inquit, et qualis debeat ore vocari? Quod si de probo quodam viro loquamur, dicimus, os tuum ablue, et ita commemora. Nunc vero nomen super omne nomen venerandum, in omni terra admirabile, quod audientes demones horret, temerarie circumferimus, nonne dum Deus nominatur oportet horrere? Hæc ille. Quorsum vero pertinere dicemus Calvinianos, qui huic sacratissimo nomini nullam prorsus reverentiam exhibent? De his scribit Godefrid. a Driel. in sua antipericope, pag. XXII. « Vidi quoque aliud admirandum Heidelbergæ anno proximo præterito; nimirum vos Calvinistas ad auditum nomen vestri principis capita aperire, dextram osculari, toto corpore assurgere, rectosque aliquantisper consistere. Et recte. At ad auditum sanctissimum illud Dei ac Domini nostri nomen, quod est super omne nomen, Jesus, ut truncos, ut asinos, ut atheos, nulla prorsus exhibita reverentia, ne politica quidem considerare. » Quorsum, inquam, hos pertinere dicemus, ad terrestresne, an ad caelestes, an potius ad inferos; siquidem ex apostolo audivimus omnium illorum genua in nomine Jesu flectenda? Quod se superis volent me-

liores esse: hoc ipso inferis pejores sunt. Redarguitur hæc illorum insolentia et stultitia, vel a simpliculis rusticis, qui sola dictante conscientia venerantur istud nomen. Quare anno Domini 1594. prædicans ille in Westphalia, valde omnibus se ridendum exposuit (apud Serarium, l. III. de Josue, c. II. q. XV.) quod cum pro concione maledictorum quædam veluti plaustra in Jesuitas effunderet, rustici ejus auditores, primas illas Jesu syllabas audientes, neque magnopere de illius argumento cogitantes, honorem facerent, quotiesque Jesuitas ille nominaret (faciebat autem persepe) toties hi, eo in cathedra stomachante ac fremente poplites flecterent.

V. Quia terribile est hoc nomen, ut in Psal. præd. *Sanctum et terribile nomen ejus.* Terribile vero est imprimis daemonibus, qui auditu hoc nomine fugiunt et tremunt: a quo devictos se norunt. Terribile omnibus hujus nominis hostibus, quemadmodum expertus Saulus cum Damascum pergeret: *Ut alligaret omnes qui invocant hoc nomen*, ut habetur Act. IX. Quale enim sit hoc nomen; tum primum intellexit, cum voce Christi prostratus audivit: *Ego sum Jesus quem tu persequeris.* Terribile denique omnibus, qui id irreverenter tractant et in vanum assumunt: sic enim in lege Deut. V. scriptum est: *Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra; quia non erit impunitus, qui super re vana nomen ejus assumpserit.* Quam comminationis appendicem idcirco procul dubio apposuit Deus, qui prævidit homines maxime proclives fore ad hoc vitium, et communissimam fore divini nominis irreverentiam, a qua ut eos deterreret, minas addidit. Quamobrem merito sane monet Eccles. XXVIII. *Verbis tuis facito stateram.* Ad ponderanda scilicet verba antequam ea proferas, ne in pœnam incidas; ad eum fere modum quo pistores jubentur mittere panes prius in stateram, antequam mittunt in furnum; alioqui quibusdam in locis puniuntur sive levior, sive gravior invenitur panis. Sic etiam verba ponderanda sunt antequam imponantur linguæ, et in publicum proferantur; quia et levia puniuntur et gravia (quale est nomen Jesu, Dei, sacramentorum, etc.) non graviter prolata. Vel verbis tuis facito stateram, id est, cogita omnia jocosa, otiosa, irreverentia, inverecunda, levia, etc. aliquando in statera judicii a Deo ponderanda esse et pro meritis punienda: si enim: *Spiritum*, id est, cogitationum ponderator est Dominus, ut dicitur Prov. XVI. Quomodo non magis verborum ejusmodi inutilium et irreverentium? Hoc medio, id est, timendo Deum abstulisse se jurandi consuetudinem fatetur S. Augustinus, in serm. XXVIII. de verbis apostoli. Eodem modo

auferri posset consuetudo usurpandi nomen Dei irreverenter. Audi Chrysost. hom. VII. ad pop. « Dicitur, inquit, quod oratorum quidam præ quadam stulta consuetudine dexterum eundo humerum continue movebat: sed tamen consuetudinem vicit, et gladios acutos utrinque humeris imposuit, ut vulneris timore membrum se movens corrigeret. Hoc tu linguæ tuæ facias et ipsi pro gladio divinæ pœnæ timorem impone, et omnino superabis, etc. » Hæc Chrysostomus. Neque valet excusatio, si dicas, id non malo animo, sed tantum ex consuetudine fieri; sic enim nihil faciet, qui cum assueverit ex alienis ædibus semper aliquid efferre inconsulto domino, deprehensus dicat, sese id in more habere. Pudebit enim et tanto magis, quanto magis in more habuit aliquid furari: *Nolite errare*, ait apostol. ad Gal. VI. *Deus non irridetur, quæ enim seminaverit homo, hæc et metet.* Quod si igitur lingua tua seminas scurrilitates, levitates, contemptum Dei, et divinarum rerum irrisionem, etc. metes etiam irrisionem.

CONCIO VI.

VIS ET EFFICACIA NOMINIS JESU.

I. Consolatur afflictos. — II. Armatur adversus pericula. — III. Sedat passiones et tentationes. — IV. Pellit malignos spiritus. — V. Orationem facit efficacem.

THEMA.

Vocatum est nomen ejus Jesus. Luc. II.

Inter alia prodigia nativitatis Christi prænuntia, celebris est fons olei, qui tempore Augusti imperatoris (sub quo postea natus est Christus) fluxit Romæ de taberna meritoria, per totum diem, teste Orosio, lib. VI. hist. Qui, ut idem auctor asserit, evidentissime significabat, proditum in orbem sub hoc imperatore illum, qui vere est unctus seu Christus et fons olei, quo inungendi essent per totum orbem Christiani. Id vero hodierno die impletum esse, dubitare non debemus. Hæc enim illa dies, qua saluberrimum illud oleum pretiosi sanguinis Christi de primo ejus vulnere in circumcissione fluxit. Idcirco enim sanguinem fudit Christus, quia erat Jesus; idcirco in cruce passus est, quia erat Jesus, ut in cavat causa ipsius scripta: *Jesus Nazareus.* De hoc fonte prophetavit Zacharias, c. XIII. cum dixit: *In illa die erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatorum:* et Isaias, c. XII. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris* (seu Jesu, ut habetur in Hebræo); denique Salomon, Cant. I. *Oleum effusum nomen tuum*, inquit, ideo

adolescentulæ dilexerunt, id est, animæ justæ. Usque ad illum diem clausus et absconditus fuit iste fons, ideoque nullus ejus effectus et fructus; nullusque ad eum recursus, amor et devotio. Nunc vero ex quo reseratus est, effundere cepit liquorem et odorem suum per universum orbem, plurimamque commoda hominibus undique diffundere. Hæc vero qualia sint, videbimus, simulque fontem istum vobis, auditores, offero pro xenio.

I. Oleum denit dolorem vulnerum membrorum male affectorum, recreat fessa membra, condit cibum, alioqui insipidum et aridum. Novimus enim Samaritanum illum, vulneribus sauciatum, infudisse oleum, ad mitigandum scilicet dolorem. Sic etiam nomen Jesu afflicto, consolatur, et eos qui amaro sunt animo, dulcedine quadam reficit. Expertus est S. Bernardus, qui ser. XV. in Cant. scribit: «Aridus est omnis cibus animæ, si non oleo isto infunditur; insipidus, si non hoc sale conditur. Si scribis non sapit mihi, nisi ibi legero Jesum; si disputes aut conferas non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Jesus, Jesus mel in ore, melos in aure, in corde jubilus.» Sic ille. Testis alter S. Franciscus, de quo scribit S. Bonaventura in ejus vita, quod cum exprimeret nomen Jesu, toties labia ablingeret, quasi mellifluum saporem degustasset; cum vero id audiret, toties jubilum quodam repletus interius totus alterari videretur, aut si quædam suavis harmonia verberasset ejus aures. Denique, nos vernacula nomen id vocamus dulce; nec immerito, quia suavissimum nobis affert et significat nuntium, Salvatoris scilicet non tantum unius nationis, sed universalis; non corporum tantum, sed et animarum, non in uno tantum, sed omni genere salutis; dicit enim majorum omnium ablationem et honorum hominum affluentiam. Innuit velle Deum, omnes homines salvos fieri, etc. Quis autem audito tali nuntio non recreetur et reviviscat, tametsi semimortuus et desperatus? Scimus Jacob patriarcham luxisse filium suum charissimum Joseph, multo tempore, quem credebatur a bestiis devoratum. Sed ubi is a filiis suis audivit: *Joseph, filius tuus, vivit*, tanto solatio perfusus fuit, ut velut de gravi somno evigilasse videretur, et *revixit spiritus ejus*, ait Scriptura, Gen. XLV. nimirum, instar ignis lucernæ, qui oleo deficiente emoriens, infuso oleo reviviscit, ut ait ibi S. Chrysostomus. Quanto magis reviviscere debent afflicti ac desolati omnes, cum audiunt verum Joseph, Jesum videlicet, Salvatorem universalem et perfectum venisse in mundum et præsto esse ad salutem impertiendam? *Fidelis sermo*, ait apostolus, I. ad Tim. I. *et omni acceptione dignus, quia Christus Jesus venit in hunc*

mundum, peccatores salvos facere. Hoc vero nobis annuntiat unicum illud nomen Jesu, imo totum id quod est Dei, indicat factum esse nostrum nobisque communicatum. Unde S. Bernardus locodicto fieri non posse existimat, ut is, cui in mentem venit hoc nomen, tristari aut desperari possit. «Tristatur aliquis vestrum? ait; Veniat in cor Jesu et inde saliat in ore, et ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando; nonne si invocet nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam? etc.» Quisquis igitur velut lucerna oleo consolationis destituta deficere incipit, oleum hoc effundat per sinceram meditationem, et sine dubio reviviscet etiam si forte desperasset. Rei significata suavissima, correspondet etiam nomen suavissimum. Etenim: «Nomen Jesu inserit miram quandam mansuetudinem, morumque honestatem, humanitatem, bonitatem, placiditatem, etc.» ait Origenes, I. I. contra Celsum. Alexander Magnus referente Plutarcho, vane aliquando gloriabatur se solo suo nomine opem Pyrrho ægrotanti allaturum. Debetur vero hæc gloria soli nomini Jesu.

II. Oleum conducit athleticis et luctatoribus, siquidem ante luctam olim inungi solebant oleo, sive ut membris evaderent duriores, sive ut minus teneri possent: similiter nomen Jesu animat et armat adversus pericula et timores nocturnos, aliæque discrimina. Cujus rei figuram cernere est in Davide, qui rejectis armis Saulis, quibus induebatur ad præliandum contra Goliath, levissima accepit arma, baculum et fundam, non utique in his confidens, sed potius in nomine Domini. Unde dixit ad hostem I. Reg. XVII. *Tu venis ad me cum gladio et hasta et clypeo, ego autem venio in nomine Domini.* Et his armis potius quam funda dejecit Goliathum. Similis Davidi herus in nova lege Martinus fuit, qui cum Christo militare amplius impio Juliano nollet, et propterea a Juliano timiditatis argueretur, respondit: «Si hoc ignavia non fidei adscribitur, crastina die ante aciem inermis stabo, et in nomine Domini Jesu, signo crucis non clypeo protectus aut galea, hostium cuneos penetrabo securus,» Sulpit. in ejus vita. En quantam in nomine Jesu et signo crucis posuerit virtutem! Sic etiam fides ille servus nobilis Silésii (de quo alibi diximus) cum se obtulisset ad eripiendum demonibus infantem domini sui, in ædibus ejusdem: «Commendabo, inquit, et committam vitam meam Deo meo et in nomine Domini ingrediari, et ut infantem auferam auxilio et beneficio Dei, videbo;» itaque ingressus et infantem ex ulnis demonis unius abstra-

heus nomine et virtute Jesu Christi ait: «Aufero abs te infantem et patri ejus restituo,» sieque incolumis incolumem abstulit infantem demonibus frustra renitentibus et contra vociferantibus, apud Delr. I. III. p. q. VII. sect. 1.

Denique, nos communiter, cum in periculo vel motu versamur, nominis hujus invocatione nos munimus et satis tutos æstimamus, velut clypeo fortissimo protectos; idque merito et laudabiliter, nam: *Turris fortissima nomen Domini*, ait Sapiens, Prov. XIX. Non vero solum animat, sed etiam liberat a periculis. Scribit Petrus Maffeus societatis Jesu, I. VII. hist. Ind. quinque Lusitanos parvo navigio vectos, de centum viginti quinque barbaris invocato nomine Jesu mirabilem obtinuisse victoriam nemine ipsorum amisso: cum prius a barbaris in fugam acti, in præsentissimo essent discrimine et rebus pene desperatis. Præservat item ab improvisa morte, si sedulo et cum devotione fronti inscribitur, hoc enim documentum dedit ipse Christus S. Edmundo adhuc puero, ut est in ejus vita, ap. Sur. I. I. c. LX. Dum enim incederet solitarius sacris insistens meditationibus, apparuit ei subito puer candidus et rubicundus velut e celo lapsus eumque salutans: *Salve, inquit, dilecte mi: at cum Edmundum diceret sibi eum ignotum esse, subjecit Christus: Quomodo ita tibi sum ignotus, præsertim cum etiam in scholis ad latus tuum sedeam,* subditque: *In faciem meam respice, et si quid in fronte mea scriptum sit, adverte sedulus.* Legit itaque Edmundus et reperit scriptum: *Jesus Nazarenus.* Tum Christus: *Hoc est nomen meum, quod tibi memoriale sit in desiderio animæ; et hoc diligenter et articulatum noctibus imprime singulis fronti tuæ; per hoc enim poteris contra mortem muniri subitam; et quisquis eadem scriptura munierit modo consimili frontem suam.* His dictis puer ille, in quem desiderant angeli prospicere, disparuit, nec parum dulcedinis in pectore Edmundis reliquit. Et quia mortis periculum omnium est gravissimum, recte morientibus hoc sacratissimum nomen serio ingeminatur, per hoc enim continentur morientes intra terminos præsumptionis et desperationis: dum enim audiunt Jesum Salvatorem, ex una parte eriguntur ad spem propter redemptorem, ex altera deprimuntur ad timorem, ut non tam confidant in suis, quam Jesu Christi meritis. Apud Romanos in more fuit, vita functis monetam, argenteam in os inserere ad persolvendum Charonti nauticum, ut felici navigio ad campos Elysios appellerent. Hoc autem quid nobis esse debet aliud, nisi nomen Jesu? *Nec enim aliud nomen est sub celo*, ait S. Petrus, Act. IV. *datum hominibus in quo oportet nos salvos*

fieri. A militibus excubias agentibus, vel civitatem obsidentibus exigitur symbola seu tessera militaris: quam si bene calleant, salvus sunt: si minus, occidi possunt. Symbola Christianorum bonorum nomen est Jesu; videat quis que ut hanc reddat in articulo mortis, eique *Abæreat*, ne alioqui pereat. Huc respexit Jacob cum moriturus dixit: *Salutare tuum expectabo, Domine*, Gen. XLIX. id est, Salvatorem tuum.

III. Oleum effusum in mare intempestum, reddere id tranquillum dicitur, ap. Pier. I. LIII. hierog. et Plin. I. II. c. CIII. Idem etiam facit saluberrimum nomen Jesu, siquidem potens remedium est ad sedandas animi passiones et tentationes. Sedavit certe jam olim tempestatem hujus mundi excitatam a demonibus, et magna in mundo tranquillitas facta est, ex quo auditum in mundo hoc nomen. Quidni etiam possit sedare motus animi? Audiamus S. Bern. qui ser. XIII. in Cant. scribit: «Nihil ita iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat livoris vulnus, restringit luxuriæ flexum, extinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ ac totius indecoris fugat pruriginem. Siquidem cum nomine Jesu hominem mihi propono mitem et humilem, corde benignum, sobrium, castum, misericordem, et omni denique honestate et sanctitate conspicuum, eundemque Deum omnipotentem, qui suomet exemplo sanet, et roborat adjutorio. Sumo itaque mihi exempla de homine et auxilium a potente, illa tamquam pigmentarias species, hoc tamquam unde acuam eas, et facio confectionem, cui similem medicorum nemo facere potest. Hoc tibi electuarium habes, o anima mea, reconditum in vasculo vocabuli hujus, quod est Jesus: salutiferum certe, quodque nulli unquam pesti tuæ inveniatur inefficax. Semper sit tibi in sinu, semper in manu; quo tui omnes in Jesum et sensus dirigantur et actus. Ad hoc enim invitaris ab ipso sponso in Cantico, cum ait: *Pone me signaculum in corde tuo, signaculum in brachio tuo.*» Hactenus Bernardus. Quod si imago Polemonis philosophi admodum severe depicta et oculis objecta meretricem adsternuit a flagitio mox patrando, teste S. Gregorio Nazianzeno, ut in ejus vita: *cur non hoc et amplius possit nomen Jesu, revocans in memoriam Salvatorem tam sanctum, tam potentem?*

IV. Oleum, teste Plinio, I. XV. c. XVII. uvis aspersum, vespas ab illis areet: idemque eas necat uti et muscas et reliqua insecta, si eo perfundantur, eodem auctore, I. XI. c. XI. Simili modo nomen Jesu depellit malignos spiritus, et viribus suis exuit ac propemodum occidit, adeo ipsis terribile est. Prædixit hoc ipse Dominus:

In nomine meo aëmonia ejicient. Et testantur id ss. patres et innumera exempla. Ad prolationem enim hujus vocis disparuere maligni spiritus, dissoluta sunt sagarum conventicula, enervata magicæ artes, expulsi ab obsessis dæmones, etc. Refert Thomas de Kempis, part. III. serm. ad nov. post ser. II. ex IV. fratrem quemdam a dæmone territum in lecto cum recitaret angelicam salutationem primo nihil motum; sed cum pervenisset ad illa verba *Jesu Christus*, illico au fugisse, quasi tonitruo quodam perterritum. Itaque frater ille audacior factus, sæpius illa verba post fugientem ingeminabat. Et quid mirum terreri hoc nomine dæmonem, a quo tam diras accepit plagas? De S. Hilarione scribit Hieronymus in ejus vita, quod inter alia plurima dæmonum terculamenta vidit: « Ex improvise splendente luna rheadam ferventibus equis super se irruere: cumque inclamasset Jesum, ante oculos ejus repentino terræ hiatus pompa omnis absorpta est. Tunc ille ait: *Equum et ascensorem projecit in mare*; et: Hi in curribus et hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri magnificabimur. » S. Antonius hoc salutari nomine dæmonum machinas et molitiones sæpissime ad nihilum redegit. Inter alia apud Athanas. in vita hæc ait: « Pulsavit aliquando dæmon monasterii ostium: egrediens video hominem enormi sublimitate, porrectum caput usque ad cælum. Cum ab hoc, quisnam esset, inquirerem, ait: Ego sum Satanas. Et ego: Quid, inquam, hic quæris? Respondit: Cur mihi frustra imputant monachi? Cur mihi omnes Christianorum populi maledicunt? Et ego: Juste faciunt, tuis enim frequenter molestantur insidiis. At ille ait: Nihil ego facio, sed ipsi se invicem conturbant, nam ego miserabilis factus sum. Rogo nonne legisti: Quia defecerunt inimici frameæ in finem, et civitates eorum destruxisti? En nullum jam habeo locum, nullam possideo civitatem: jam mihi nulla sunt arma, per omnes nationes cunctasque provincias Christi personat nomen; solitudines ipsæ quoque monachorum stipantur choris. Ipsi se, quæso, tuentur, et me sine causa non lacerent. Tum ego Dei gratiam cum alacritate miratus, sic ad eum locutus sum: Non tuæ veritati, quæ nulla est, tam novam et tam inauditam adscribo sententiam: nam cum fallaciæ caput sis, hoc sine mendacio coactus es confiteri. Vere enim Jesus tuas funditus subruit vires, et honore nudatus angelico, voluntaris sordibus. Vix dum verba compleveram et ille in sublimi Salvatoris deletus est nominatio. Quæ ergo jam o filioli, poterit residere cunctatio? Quæ trepidatio manebit ulterius? etc. » Hæc Antonius. Vultisne plura? Thy. l. de dæmo-

niacis, c. XLII. nu. XXII. ait: « Sagis et iis, qui se diabolo devoverunt, mandari et serio præcipi scimus, ut si quando nocturnos conventus habent, prorsus a nomine Jesu absteineant, quamquam Jesum abjurarint. Scimus subito et diabolum et præsentem turbam disparuisse si quando collegarum alicui etiam præter intentionem, nomen Jesus excidisset. » Sic ille.

V. Oleum ungit et promovet currum. Sic nomen Jesus orationes efficaciores ad impetrandum facit, ut citius ad cælum ascendant et nubes penetrent: promisit enim id Christus, et hoc nomine invocatus in evangelio nihil cuiquam negavit. Mediante enim hoc nomine audemus dicere: *Pater noster qui es in cælis*, et per hoc placet Deo oratio nostra auditurque. In hujus rei figuram præcipitur Levit. II. ut anima volens Deo sacrificium offerre: *Similam offerat et fundat super eam oleum* (quo nimirum sapidior fiat, oleatus enim panis est sapidissimus) *et ponat thus*. Simila orationem significat, thus ejus fervorem et bonam intentionem, qua ad cælum dirigi debet: oleum Jesu, quod orationem facit acceptissimam, juxta id: *Quidquid petieritis in nomine meo fiet vobis*. Quin et ad victum comparandum profuisse hoc nomen docemur ex vita S. Bernardini, qui cum aliquando in oppido quodam vidisset hominem chartas lusorias conficientem, quæsivit calleretne aliam artem? Illo negante: *Si vis, inquit, facere quod dicturus sum, habebis unde te sustentet*. Et ille: *Faciám equidem et lubens*. Tum Bernardinus circino descripsit circulum et in eo nomen Jesu pinxit sole circumdatum, aitque ad virum: *Tu fac similiter, fili, et a bebis vitæ degendæ necessaria*. Fecit ille, et inde plus lucri acquisivit, quam e profano altero artificio.

Itaque inculpamus hoc nomen linguæ nostræ et si lingua aliquando deficiat, inculpamus et cordi, quemadmodum S. Ignatius martyr, in cujus corde inventum est aureis litteris scriptum. Cum enim dixisset ei tyrannus ut nomen Christi abnegaret, respondit, nomen id ab ejus ore removeri non posse; et cum ille minaretur ei capitis abscissionem, ut sic ab ejus ore removeretur, dixit: « Et si de ore abstuleris, nunquam tamen de corde poteris eripere. Hoc enim nomen cordi meo inscriptum habeo et ideo ab ejus invocatione cessare non possum. » Quod volens probare Trajanus jussit inquiri in occisi corde, et inventum est scriptum aureis litteris, D. Thomas Aquinas, in opusc. de exposit. orationis Dominicæ.

CONCIO VII.

QUA RATIONE OMNES CHRISTIANI POSSINT AC DEBEANT ESSE JESUITÆ.

I. Si servi Jesu fuerimus. — II. Si legata et monita Jesu amplexi fuerimus. — III. Si vitam et mores Jesu imitati. — IV. Si nomen hoc non inquinemus. — V. Si et ipsi conemur esse quidam Jesus.

THEMA.

Vocatum est nomen ejus. Luc. II.

Non est alienum a religioné christiana quod hodierna die, mutuis se xenis honorent Christiani. Nam revera hodie Christus Dominus noster donatus et honoratus est ab ipso Patre suo, præstantissimo xenio, dum accepit nomen super omne, nomen inquam Jesu, ab angelo quidem vocatum seu annuntiatum, a Deo Patre vero inditum, juxta id Isa. XLIX. in persona Christi loquentis: *Audite insulæ, et attendite populi de longe: Dominus ab utero vocavit me* (nominem videlicet Jesu) *de ventre matris meæ recordatus est nominis mei*. Hoc autem nomen donum et quidem præstantissimum esse testatur apostolus ad Phil. II. dicens: *Donavit illi nomen, ut in nomine Jesu* (en quale nomen) *omne genu flectatur cælestium, terrestrium et infernorum*. Quæ cum ita sint, æquum esse videtur, auditores, ut ego vobis xenium aliquid donem. Et quid possum dare melius et præstantius, quam si id quod dedit Deus Pater Filio suo, communem et vobis? Ego dono nomine Jesuitæ, quia vos omnes opto fieri Jesuitas. (Neque enim qui de societate Jesu sunt, invidentur nobis hoc vocabulum; utpote qui nos omnes et in modico, et in magno optant esse quales ipsi sunt.) Itane vero dicet aliquis: Visne tu me Jesuitam, qui hoc nomen odi. Ita volo et jubeo: si enim Christiani omnes dicimur a Christo, cur non etiam a Jesu dicamur Jesuitæ? Christiani facti sumus in baptismo, dato juramento, ergo et Jesuitæ. Deinde, nonne Franciscani a Francisco, Benedictini a Benedicto, Dominicani a Dominico nomen sortiuntur? Quia illorum institutum et regulam profitentur ac sequuntur. Atqui etiam nos quotquot Christiani sumus regulam Jesu Christi sequimur. Ille nobis parens, doctor, caput et denique noster Salvator et Jesus est: ipse vitis, nos palmites. Denique, audi quid apostolus dicat I. ad Corinthios: *Fidelis Deus, ait, per quem vocati estis in societatem Filii ejus Jesu Christi Domini nostri*. Igitur et nos de societate Jesu sumus, quamquam non abnuimus alios longe verius esse Jesuitas, qui videlicet magis et perfectius Christum imitantur. Sane in Chatai regno Sinensibus vicino, et Tarta-

rorum extremo ita omnes Christianos vocari, docet Turcicus narrator, in hist. Ind. orient. relat. p. CLXXI. edita Maguntiae, anno 1601. Quin et ab hæreticis vocari solent Jesuitæ omnes quotquot fidem catholicam acrius defendunt. Et ab ipsis catholicis (levioris tamen armaturæ) quotquot pietati impensius addicti sunt. Nemo igitur ex nobis fugiat hoc nomen, sed toto potius corde ambiat et amplectatur. Sed quid agendum inquis, quæ regula servanda, ut hujus societatis particeps fiam. Bono animo esto, brevis est et facilis talium Jesuitarum regula.

I. Ergo Jesuitæ erimus primo, si ipsius Jesu servos, clientes, discipulos, milites, omnique officiorum genere ipsi obligatos nos profiteamur. Servus, cliens, discipulus, miles erga Dominum, patronum, magistrum, duces bene affecti sunt, nomen et honorem ejus tuentur, ipsum in corde et ore frequenter habent. Ita olim milites Romani gerebant in manu stigma inustum vel impressum, quo se profitebantur hujus vel illius ducis milites, ut testatur Lipsius, lib. I. de militia Rom. cap. IX. Sic miles christianus: *Scribet manu sua, Domino*, id est, Domini ego sum; seu (ut ex Septuaginta vertunt aliqui) *inscribet manui suæ; Dei ego sum*, ait Isaias, cap. XLIV. Vin ejusmodi Christianos; S. Paulus adeo sibi impressum nomen Jesu habebat, ut in suis epistolis repetat id ducenties decies novies, Christi nomen quadringenties et semel idemque abscisso capite triplici saltu ter repetiit, 68. Baron. nec aliter de se scribebat quam *Paulus servus Jesu Christi*. S. Ignatius martyr assidue Jesum vocabat amorem suum, nec aliud fere sonat tota ejus epistola ad Romanos: et sunt qui tradunt in ejus a leonibus lacerato corde, inventum fuisse nomen Jesu, aureis litteris scriptum, juxta quod prædixerat tortoribus: *Hoc nomen cordi meo inscriptum habeo, et ideo ab ejus invocatione cessare non valeo*, Vincent. l. lib. X. c. LVII. Ado in martyrolog. quem S. Thomas et Antonius aliique sequuntur. Constantinus Magnus imperator nomen Christi, duabus initialibus litteris effigiatum gerebat in galea. Nomen Jesu sub axilla S. Eutochiæ mortuæ inventum est velut incisum, ut est apud Scardonum et Alanum Copum, dialog. III. c. III. S. Julianus ubicumque id nomen in libris legebat, lacrymis irrigabat, eaque de causa multas in libri lituras faciebat, ut testatur S. Ephrem, in ejus vita. De S. Francisco scribit S. Bonaventura, visum eum, quoties inter psalmos nomen Domini occurrebat præ amoris suavitate labia ablingere; et si nomen Jesu exprimeret vel audiret, mente et corpore adeo solitum alterari, ac si mellifluus quidam sapor, aut suavis harmonia sensum ejus